A

B

VIII

V. DVA Orat-
tios

FRANCISCI VIDVA
Philoſophiæ, & I. V. Doctoris
ORATIONES TRES.

videlicet

Præfatio ad Pandectarum Caput, de Reg. Iur.
Oratio in Obitu Guidi Panciroli I. C. Clarisſimi
Oratio de laudibus Hiſtoriæ.

Ad Illuſtrisſimum virum,
Ac Serenisſimæ Venetæ Reip. Senatorem
Sapientisſimum, atq; Integerrimum
ALOYSIVM BRAGADENVM.



Patauij, apud Laurentium Paſquatum Anno 1600.
Superiorum Permiſsu.

Illuſtrisſimo viro,

AC SERENISSIMAE VENETAE Reip. Senatori Sapientiſſimo, atque integerrimo ALOYSIO BRAGADENO.

Franciſcus Vidua. S. P. D.

ORATIONES quaſdam, ac in primis eam, quam in Patauino Gymnaſio ſuperioribus diebus habui, cum Pandectarum caput de Regulis Iuris explicare inciperem, multorum ſuaſu in lucem daturus neminē habui, vir Illuſtriſſime, cui eas potius, quam tibi dicā das exiſtimarem. Nam ſiue nobilitatem generis ſpecto, te ex ea ortum video familia, ex qua ueluti ex equo Troiano innumeri præſtantes viri, atque iſtius Reip. fortisſima propugnacula prodierunt; ſiue dignitatum

ornamenta intueor; te præcipuis summo omnium plausu honoribus perfunctum animaduerto, quos eadem florentissima Resp. præstantissimis, ac de se optime meritis ciuibus elargitur; siue demum ad uirtutum lumina mentis oculos conuerto, te ab omnibus quasi summum, ac perfectissimũ prudentiæ, integritatis, fortitudinis, virtutum deniq; omnium exemplar coli, atq; obseruari perspicio. Accedit, me his tibi ob strictum esse beneficiis, vt non res modo meas, sed (ni id iampridem fecissem) me quoque ipsum tibi in perpetuum dare, dicare, atque addicere debeam. Accipe igitur vir Illustrissime has qualescunque ingenioli mei primitias, & quemadmodum (quæ tua fuit humanitas) me tuorum clientum in numerum adscribere nõ recusasti, ita eas pro eadem tua humanitate fouere ne graueris. Vale Venetæ Reip. decus, atq; ornamentum, teq; ad eiusdem commodũ, atque felicitatem diu incolumen conserua. D. Patauii. 3. Non. Ian. 1600.

Fran-

FRANCISCI VIDVA

ORATIO.

Habita in Patauino Gymnasio, cum inciperet explicare Pandectarum Caput de Reg Iuris.

NON leuem sane prouinciam, Nob. Aud., a me susceptam animaduerto; Regularum scilicet iuris, vt appellant, in hoc Gymnasio explicandarum, immo vero adeo grauem, vt dum eam mecum ipse diligentius perpendo, facere non possim, quin magnopere commoueat, atq; perturbet. Primum omnium si ad ipsius Gymnasii claritatem, atq; amplitudinem mentis oculos conuerto, hanc esse Academiam illam perspicio, in qua nobilissimi Iurisconsultorum incredibili nominis celebritate iura Pontificia, atq; Cæsarea multorum annorum spatio explicarunt; Bartoli nempe, Fulgosii, Alexandri, Iasones, Decii, ac deniq; cæteri, quos tanquam e cœlo delapsos vniuersa miratur, predicatq; posteritas, vt acutissima sane mentis acie, & summa, spectatissimaque doctrina esse debeat, qui hasce cathedras tātorum virorum sapiētia in omnem æternitatem nobilitatas ascendere nō reformidet, atq; hic obscuris de rebus disserere, & recondita legum sensa patefacere conetur. Acce-

dit hac ipsa tempestate principes huius ætatis Iuriscon sultorum non solum magno omnium plausu, sed maxima etiam admiratione, atq; incredibili non tam proprii nominis, quam ipsius Academiæ gloria difficillimos legum tum diuinarum, tum humanarum nodos hic expedire; vt inter tot, ac tanta lumina omnium aciem suo perstringentia splendore homini perexiguo ingenio, tenuiq; doctrina nullus prope locus, immo vero nullus plane relinqui uideatur. Quid? quod me hoc in munere illi succedere animaduerto, qui nō solum leges in scholis scientissime interpretādo, sed lites etiam in foro æquissime dirimendo multa, eaq; magna sapientiæ præbuit argumenta? excellētissimo nempe Octauio Salgherio, quem honoris gratia nomino; cuius doctissimis explicationibus assuetæ studiosorum aures vix scio, an tenuitatem, & exilitatem meā ferre poterunt. Auget præterea nonnihil perturbationem meam, quod ad has nouas Athenas, ad hanc, vt ita dicam, bonarum artium officinam, ad hoc deniq; disciplinarum domicilium, & quodammodo sacrariū non ex propinquis tantum regionibus, non ex vltima solum Italia, sed ex Græcia, Gallia, Germania, Polonia, vno dicam verbo, ex toto prope terrarum orbe ad sacratissimas leges perdiscēdas maxima studiosorum iuuenum confluit multitudo; vt in Patauino Gymnasio Iura explicare nil aliud re vera censeri debeat, quā profiteri in conspectu gentium omnium, atq; nationum. Quid dicam de ipsa materiæ mihi ad explicandum propositæ grauitate, subtilitate, obscuritate? An est quisquam, qui nesciat, Regularum iuris explicationem laboriosissimam esse, ac difficillimam? cum sæpe numero ad assequendos germanos earum sensus Delio, vt est in veteri prouerbio, sit opus natatore; plerunq; vero ab innumerabilibus, quibus vndiq; petuntur

tur telis vix defendi posse videantur. Non temere pro fecto cum alii, quos a me recenseri temporis non patiuntur angustiæ, tum ii, qui superioribus annis in hoc ipso gymnasio summa ius ciuile gloria professi sunt, Philippus Decius, & Hieronymus Cagnolus, hanc materiam maxime dignam existimarunt, in qua ipsi elaborarẽt, ingenii vires exercerent, dies sudarent, ac noctes, &, ne longũ sit, quã luculentis commentationibus pro suis uiribus illustrarent: intelligebant.n. præstantissimi homines, & sũmo, ac singulari ingeni acumine præditi, quemadmodũ vix vllũ in vniuerso iure caput reperitur, ꝙ maius desideret interpretationis lumẽ, & in quo illustrando plus laboris, atq; operæ collocãdum videatur; ita vel hoc vno diligenter a se, & accurate explicato fore sine dubio, vt sibi ad nominis immortalitatem aditus patefieret, & de tempore, ac vetustate, quæ omnibus de rebus triumphare solẽt, amplissimum ipsi triumphum reportarent. His cogitationũ angustiis circunuentus quo me vertam nescio, atq; vt verum fatear, nõ solum uehementissima animi perturbatione commoueor, sed etiam, vt Ciceronis vtar verbis, totis pene artubus contremisco. Verum illa me aliquantulum cogitatio consolatur, quod si non omnibus, at certe compluribus notum arbitror; id a me susceptum esse oneris, non ingenii ostentandi gratia, cuius nunquam me summa latuit tenuitas; non doctrinæ patefaciendæ studio, qua me cum plerisq; ne conferri quidem posse perspicio; non amplificandi deniq; nominis, & gloriæ aucupandæ cupiditate, quarum desiderio rerum me haud magnopere unquam flagrasse iure optimo profiteri queo; sed duntaxat vt me ipsum honesta aliqua in re exercere possem, & de compluribus mihi benemerendi præstaretur occasio. Nam quãto quidem studio curare quisq; debeat, vt se se pro vi-

rili

filii in re quapiam præclara, atq; laudabili exerceat, cũ alia multa, tum illud apertissime mea sententia demõ strat; quod plurimi cum uitam possent otiosam, & om nibus vacuam curis, negotiisq; transigere; tamen vel publicis in rebus administrandis, vel in cognoscendis naturaliũ rerum causis, atq; affectionibus, vel deniq; in aliis aut gerendis, aut inuestigandis rebus sibi per petuo laborandum putarunt, & vsq; ad vltimam senectutem, immo vero ad vltimum vitæ diem nullum prope non dicam otiosum, sed tranquillum spiritum ducere voluerunt. Ac sane cum hominem ad intelligendum, & agendum a summo rerum omnium effectore, atq; gubernatore Deo conditum constet, quid ei hac in vita potius esse debet, quam vt eãdem vitam honesta aliqua exercitatione traducat, & semper egregiũ aliquid pro uiribus vel agat, uel contempletur? Equidem illos hominis nomine indignos semper duxi, qui voluptatum esca quasi totidem pisces capti, atq; irretiti turpi otio languescunt, animiq; sui vires quasi gladium in vagina reconditum hebescere, tetraq; rubigine consumi patiuntur. Præclare sane priscus quidam philosophus, qui homines mollem, ac voluptariam amplexos vitam, & inerti, ac desidioso torpentes otio spirantia quędam cadauera appellare nõ dubitauit; quid .n. tandẽ a mortuis distant qui licet huius lucis usura fruantur, detestabili tamen iacent otio sepulti, nihilq; ab eis, nisi forte teterrimus plurimorum fętor flagitiorum, ac scelerum potest expectari? Iam vero quam deceat, vt de hominibus quantum in se est, bene mereri quisq; studeat, sapientissimus ille Plato, cui tantum tribuit antiquitas, dignum vt censuerit, quem diuini cognomento exornaret, planissime docuit: cum enim Tarentinum Architam iniquo animo ferre accepisset, quod a publicarum administratione rerum sese, uti cu

 pie-

piebat, subtrahere non posset, illum per litteras obiurgasse, & homines non tam ad sui, quam cæterorũ commoda natos monuisse perhibetur. Id quod etiã inter præcipuas veterum philosophorũ sectas haud quaquam ignobilis, & obscura Stoicorum familia sensisse traditur: quemadmodum enim omnia, quæ in hac tanta rerum, quam conspicimus, vniuersitate reperiuntur, hominum gratia dixit esse procreata, ita homines ipsos, ut sibi vltro, citroq; prodesse possent, genitos asseruit. Nec vero ab hac sententia Titus ille, quem Romani Imperii habenas moderantem vniuersus terrarum orbis quasi Deũ quẽdam, aut certe quasi hominem e cælo demissum suspexit, & coluit, sibi recedendum existimauit: etenim cum aliquando super cænam nullum beneficii genus a se in quemquam eo die collatum meminisset, ingemuisse fertur, & diem illum a se perditum conuiuis omnibus audientibus exclamasse. O præclarissimam vocem mea quidem sententia dignã; quæ in hominum pectoribus litteris, si fieri posit, aureis incidatur. Sed vt ad me ipsum reuertar Aud., cum me his de causis ad hoc onus subeundum adductũ esse plerisq; notum intelligam; solatur me, vt dicebam, ac in tanto suscepto munere non mediocriter reficit, quod ex his saltem puto fore neminem, qui me reprehendendum existimet; præsertim cum tarditatem ingenii, uiriumq; imbecillitatem labore, & diligentia aliqua saltem ex parte compensari posse exploratissimum sit: mira est enim, mira vtriusq; vis, atq; natura; vt haud immerito & Virgilius labore omnia vinci affirmauerit, & Romanæ parens copiæ nihil esse tam arduum, quod studio, & diligentia consequi homo non possit, litteris prodiderit. Demosthenes quidem, quem Græcorum oratorum princi

pem,& quasi coryphæum semper habitum constat, & si adeo lingua hæsitaret; vt eius ipsius, quam disce re cupiebat, artis ne primam quidem proferre litteram posset; naturæ tamen vitium, studio, & diligentiā ita superasse dicitur, vt omnium planissime, atq; adeo suauissime pronunciaret. Quid commemorem Cleanthem illum philosophum non exigui sane inter veteres sapientes nominis? qui cum ad discendum omnibus fere naturæ præsidiis esset destitutus, breui temporis curriculo diligentia, & labore sic effecit: vt plerosq; eius ætatis philosophos æquasse, multos etiam longo interuallo superasse ab omnibus crederetur? Alacri igitur, & erecto animo Aud. præstantissimi susceptum munus aggredi non verebor: ac primum quidem, vt par est, ab eo, qui hāc uastissimam, atq; ornatissimam molem, quam mundum appellamus, ex nihilo excitauit; qui homini non rationem modo, sed rationis etiam lumen, ac decus orationem largitus est, cuius e uoluntate, atque nutu non ea solum pendent, quæ sub aspectū cadunt, & tactum, sed ipsæ etiam diuinæ, & a materiæ labe abstractæ, & separatæ mentes; ab hoc inquam summis precibus, uotisq; contendo, vt quemadmodum nihil exopto uehementius, quam vt iurisprudentiæ studiosis aliquid afferam adiumenti; ita me vastum, ac profundum hoc pelagus enauigantem cælesti aura prosequi velit; deinde vobis nobilissimi adolescentes, qui bonarum artium pulchritudine, ac dignitate inflammati, ex ipso propemodum parentum, ac propinquorum cōplexu uosmetipsos abstraxistis, & spretis commodis, ac voluptatibus ad hoc in omnes terras longe, lateq; resonans theatrum earum percipiēdarum gratia cō uolastis; vobis, inquam, me summo curaturum studio

dio polliceor, vt ex hac ingenti rerum sylua, quam mihi oblatam videtis, ea potisſimum ſuſcipiam exponenda, quæ cæteris utiliora uidebuntur, atq; in iiſdem explanandis ea utar ratione docendi, quam ad ueſtra iuuanda ſtudia, minuendoſq; labores aptiſſimam fore cenſebo. Et quoniam in eum incidit locum oratio, ut de iis in quibus interpretandis meũ uerſabitur ſtudium, nec non de ipſo docendi, ſiue interpretandi modo aliquid promendum uideatur; pauca quædam his de rebus dicere tentabo; ſi tamẽ humanitatis ueſtræ fontes nobilisſimi Aud. quos mihi hactenus patere uoluiſtis, ad breuiſſimum adhuc tempus mihi apertos eſſe patiemini, quod eadẽ ueſtra fretus humanitate ſperare non dubito. Primũ igitur, cum hoc Pandectarum caput, in quod a Triboniano, ac cæteris, quibus tanti operis componẽdi munus a ſacratisſimo Cęſare commiſſum legimus, præcipuas iuris ciuilis regulas non oſcitanter congeſtas conſpicimus, quodq; ſicut eoſdem claudit Pandectas, ita illorum prope apex iure uidetur dici poſse; cum inquam hoc tam præclarum, & egregium caput adeo late pateat, ut unius anni ſpatio a carceribus ad calcem nullo modo decurri poſſe uideatur, illud capiam conſilii, quod uniuſquiſque ueſtrum ni fallor, ſi rogarem, daret; leuiora ſcilicet omittam, atq; illa tantũ euoluere, & enodare conabor, ex quibus uberiores percipi poſſũt utilitatis fructus. Multa, ut noſtis Aud. de ſeruis, multa de manumisſionibus, multa deniq; aliis de rebus, quæ partĩ tenebris uetuſtatis, partĩ libertatis luce obſcurata noſtra nõ agnoſcit ætas in illud diſſeminata, atq; ſparſa passĩ cõperiũtur. Hæc ergo, ut ſtudioſorũ inſeruiã utilitati, aut omittã penitus, aut, ſiquãdo id minus forte decuerit, leuiſſime, & ſũmis, ut aiũt, digitis attingam; neq; to

tum ad illa declaranda conuertam, quæ ad instituenda hoc tempore iudicia, ad exercendas actiones, ad sententias controuersis de rebus ferendas, atq; vt breui comprehendam, ad forenses causas, vsumq; quotidianum referuntur. Huc, huc Aud. toto pectore incumbam, in his diurnum, atq; nocturnum impendam studium; hic meorum erit scopus laborum; ad hæc, quantum meæ ferent uires, aperienda omnem curam, diligentiam, operam, industriam, vigilantiam deniq; conferam. Neq; uero hāc ob causam suspicetur quispiam velim antiquitatū a me sperni cognitionem, parumq; illorū mihi probari consilium, qui cum legum scientia vetustatis cognitionem coniungere nituntur. Laudo, laudo Aud. antiquitatis notitiam, laudo priscarum scientiam rerum, quam ipse quoq; Iustinianus tanti fecit, vt & nihil antiqui ignorandum asseuerarit, & in priscis legib., ac moribus recensendis nonnunquam prope nimius videatur. Illud etiam adiungo, neminem, vt mea fert opinio, ad insignem in hac disciplina cognitionis gradum facile peruenire, breuiq; inter alios excellere, atq; eminere posse, nisi ueteres historias si minus omnes, at certe plerasq; sibi euoluendas existimarit. Verū in tantis temporis angustiis, urgentibus nempe hinc diuturnis uacationibus, illinc praua obstrependi consuetudine, quid aliud agas, quam ut posthabitis utilibus necessaria persequaris; & quando multa necessario prætereunda sunt, ea potissimum prætereas, quæ licet haudquaquam despici debeant, minore tamen possunt iactura præteriri? Nautæ quidem cum aduersa tempestate in alto iactati omnia, quibus nauim cernunt onustam, optatum in portum a se vehi posse desperant; illa nauis leuandę causa proiicere consueuerunt,

runt,quæ licet nonnunquam magni sint pretii, præ cæteris tamen non iniuria videntur posse contemni. Sic nos posteaquam omnia,quæ uellemus,attingere,& interpretari nequimus, ea pro virili nostra exponamus,ex quibus maior promanatura est vtilitas; quæ vero ut explicata minus vtilitatis,ita præter missa minus detrimenti afferre possunt,æquo,quando ita necesse est,animo prætereamus. Dixi breuiter de iis,in quib. declarandis elaborabo. Nunc de ipso docendi modo perpauca: nam & omnia,quæ mihi ipse proposui, proferri a me oportere non arbitror, & si oporteat, tempus in præsenti non suppetere animaduerto. Dabo in primis operam Aud. ne facile a re digrediar,meisq; explicationibus, res a proposita materia seiunctas, & alienas intexam: quid enim tandem absurdius, quam cum de dotibus uerbi causa differendum est, de Represaliis, uel,quemadmodum alii magis, vt opinor, Latine nuncuparunt, pignorationibus disputare; aut cum de testamentis agi debet, de argumento,quod ex ui nominis elicitur, aliisq; per multis a subiecta materia toto cælo distantibus rebus tractationem instituere? At id ab iis,quorum e vestigiis haud facile recedendum uidetur,qui occultissima legum mysteria prope diuinitur aperuerunt, quos deniq; quasi huius disciplinę principes, ac prope dixerim parentes nemo non ueneratur; id, inquam, ab eis non solum pro incommodo, aut absurdo minime habitum,sed dedita etiam opera factitatum constat. Non inficior Aud: quid enim negem, quod vix prolatis ipsorum lucubrationibus apparebit? Verum si cum gigantibus Pygmæum congredi, atq; luctari fas est, hanc explicandi uiam,atque rationem ad iuuenes erudiendos minus aptam,atq; idoneam esse contendo.

do. Proh Deus imortalis quid hoc est aliud, quam per multos anfractus, & tortuosos, atq; difficiles Meandros uix post longissimum tempus studiosos adolescentes nō sine maxima difficultate eo perducere, quo, si recta pergere voluisses, breui, ac sine ullo pene labore perduci potuissent? Quid moror? Hunc docendi modum amplectantur alii, si lubet, & quemadmodum Anaxagoras naturalibus in reb. contingere arbitrabatur, quidlibet nimirum in quolibet contineri; ita ipsi tertio quoq; verbo digrediētes quidlibet in quolibet suo misceant arbitratu.

Ego mihi summæ futurum curæ polliceor, vt me intra propositæ materiæ cancellos contineam, efficiamq;, vt a nemine, quod in alienam, ut dicitur, messem falcem immittam, argui possim. Curabo prætere a Aud., ne in iis ipsis excutiendis, quæ prętes rem non esse constabit, nimiopere disputationibus habenas laxem: nam, si in tam celebri, atq; frequenti loco mihi meam hac quoq; in re liceat aperire sententiam, nunquam copiosissimum illum, atq; plus nimio accuratum docendi modum probare potui; cum .s. nihil quantumuis leue, & inane prætermittitur, sed in omnibus uel minutis, atq; exilibus reb. omnes omnium sententiæ accuratissime recensentur, maxima ad eas uel cōprobandas, uel refellēdas argumentorum copia congeritur, ac deniq; nihil non enucleatū, nihil nō probe discussū, nihil nō summa, ac propemodum icredibili diligentia examinatum præteritur. Erudita hoc Aud. ingenia, & alere, & delectare pōt, quæ ex infantię cunabulis iāpridem egressa, atq; ad robustam progressa ætatē nihil non facillime digerunt, & ciborum copiam, ac varietatem non modo non respuunt, uerum etiā maxime appetunt. At adolescentes, qui paucis an

te annis animum ad iuriſprudentiam appulerunt, adhucq; a doctore quaſi a nutrice alendi sũt tam uariis, atq; profuſis epulis (mihi credite) opprimuntur potius, quam alantur. Vereor, ne hoc, quod dicam, cuiquam forte admirabile uideatur: dicam tamẽ: in tanto enim eruditiſſimorum hominum conuentu minime defuturos intelligo, qui mẽdacii me hac in re condemnari nequaquam patientur. Sunt, qui copioſisſimas illas, & in omnem partem longe, lateq; diffuſas commentationes, quas a compluribus, dicam ne iuris, an proprii nominis illuſtrandi gratia? editas uidemus, non modo iuuenibus non attingendas putent, ſed earum etiã pleraſq; Vulcano conſecrandas arbitrentur: ſcilicet nimis hi quidem ſunt progresſi; ſed tamen uel hinc facile intelligi datur, nimiam explicandis in reb. lõgitudinem ſæpe complurium iudicio impedimento potius eſſe, quam adiumento; atq; illis, qui nõdum in hac ciuili diſciplina aliquanto longius proceſſerunt, non uiam, ut par eſſet, hoc modo ſterni, facemq; præferri, ſed potius aditum obſtrui, & quasdã quaſi tenebras offundi. Quæ cum ita ſe habeant, enitar Aud. quantum potero, vt media quadã incedam uia, atq; ita me gerere conabor, ut quemadmodum cæteris in reb., ita & in hac diligentisſime auditorum meorum vtilitati a me conſuli omnes intelligant. Poſtremo quo melius boni interpretis munere fungar, totis contendam uirib., ut quęcunq; a me proferentur in medium, ordine claro, atq; dilucido diſpoſita ſint, & digeſta: quid enim tandem prodeſſet nec extra propoſitæ materiæ terminos euagari, nec in rebus diſcutiendis longiorem eſſe, quam deceat, niſi ea ipſa, quæ ad rem pertinent, & quæ prætermitti abſq; culpa, & inſigni nota non

posſunt,

possunt, ordinis quodam quasi lumine illustrarentur? Memini a Xenophonte, cuius libros studiose legendos esse cum doctissimus quisq;, tum uero Cato senior apud Ciceronem testatur, litteris proditum esse, nihil reperiri melius ordine, nihil praeclarius, nihil admirabilius. Egregie: nam, ut de natura sileam, ex qua ordinem si tollas, omnia sine dubio, quae uel infra, vel supra Lunę globum reperiuntur, conti nuo labentur, & ruent, atq; huius tantae pulchritudinis, & uarietatis, quae neminem non in summam rapit admirationem, ne tenuissimum quidem uestigium relinquetur; ut inquam hoc omittam, quid tandem in rebus pertractandis uno omnium consẽsu magis quam ordo necessarium reperitur? Fac quęso, quae ad aliquam pertinent materiam, confuse, ac perturbate proponi. Iam & memorię non sine magno labore mandari, &, quod caput est, persaepe, non dicã ab agrestibus, & imperitis, sed ab acutissimis atq; eruditiss. hominib. ne ĩtelligi quidẽ poterũt. Fac contra eadem ordine quodam, & serie colligari, atq; connecti. Facillime sine dubio a quouis licet hebeti, atq; tardo (qualem tamen e vob. lectissimi adolescentes neminem esse certo scio) sed facillime, inquam, a quolibet percipientur, & memoriae a plerisq; perexiguo, a multis etiam nullo plane labore mandabuntur. Verum his de reb. iam satis: malo enim accusari, quod tacitus multa praetereã, quam quod diutius quam par est, uestra abutar benignitate, atq; patientia. Reliquum est, nobilissimi Iuuenes, vt quando me uestri in re litteraria progressus cupidissimum, & ad subeundos omnes uestra causa labores paratissimum animaduertitis; reliquum est, inquam, vt vobismetipsis deesse nolitis, efficiatisq;, ut a nemine ignauiae, atq; negligen

tiae

tiae nomine coargui valeatis. Vanum esset absque dubio uanum, & inane, me aliis omnibus ex animo curis, atq; cogitationibus eiectis utilitatis vestræ studio laborare, eniti, vigilare, & fructum, ac progressionem vestram quieti, & commodis meis hilari animo anteferre; nisi uos quoq; Herculeas illas ingenii vestri uires exercendas, & varios suscipiẽdos labores putaretis. Quod cũ ita sit, incũbite, incũbite orbis terrarum spes maxima, vt hanc pretiosissimã ciuilis sapientiæ gemmam, cuius nitore, ac pulchritudine allecti, atq; incitati ad hoc celeberrimũ bonarum artium emporium uosmetipsos contulistis, quamprimum comparetis. Efficite, vt omnes intelligant, uos nec voluptatum illecebris, nec laborum, aut vigiliarum incommodis retardari, quo minus ad illa obtinenda, quibus nihil dignius, nihil honestius, nihil deniq; laudabilius reperitur, vehementissimo, atq; incitatissimo cursu feramini. Intendite, intendite neruos, vt ad pręcidendas litigantiũ calumnias, ad inopes, & egentes ab improborum ui, & iniuria protegendos, ac denique ad tutandam omnibus in rebus iustitiam, & æquitatem instructissimi lares patrios post exigui temporis spatium repetere, atque iucundissimam parentum, & propinquorum vestrorum effigiem intueri positis. Vos, mihi credite, laborum interim susceptorum nunquam pænitebit; immo uero usque ad extremam senectutem maiores dignitatis, vtilitatis, ac deniq; uoluptatis fructus in dies singulos percipietis.

Habita An. Sal. 1599. 7. Idus Nouembris.

In Obitu Guidi Panciroli I.C. Clarissimi.

Francisci Vidua.

ORATIO.

VITA functo Iurisconsulto celeberrimo, atq; omni virtutum, & laudum genere cumulatissimo Guido Panciroli, Nob. Aud. acerrimum Patauino Gymnasio est vulnus inflictum, ereptus studiosæ iuuentuti præclarissimus, atq; benignissimus dux, & parens, orbata deniq; Respub. litteraria lumine longe maximo, atq; clarissimo. Itaq; iure optimo squallet gymnasium, lugent ciuilis sapientiæ studiosi, ac deniq; litterati omnes summo, ac plane incredibili mœrore conficiuntur. Quod si obeunte Platone solem e mundo sublatum iudicauit antiquitas; quid eo mortuo videatur, qui sapientia Plato, probitate Socrates, eloquentia Cicero, Iurisprudentia deniq; Paulus, aut Vlpianus fuisse existimatur. Equidem tantę pondus iacturæ mecum ipse perpendens, atq; vno die, vna hora, vno deniq; temporis momento lōge plus amissum cogitans, quam multornm non dicam dierum, non mensium, sed annorum, immo vero sæculorum curriculo recuperari posśit; tam vehementi dolore angor, atq; discrutior, vt edere vocem vix queam; cum præsertim non solum communes cum aliis dolendi causas habeam, sed multas mei ipsius proprias, atq; peculiares. Extincto enim Guido Pancirolo illum extinctum video, cui meam, quantula

cunq;

cunq; sit , in Iure ciuili progresſionem maxima ex parte acceptam refero; ex cuius doctiſſimis, iucundiſsimisq; ſermonibus ſummam & vtilitatem, & uoluptatem percipere consueueram; qui deniq; me ſibi tam multis deuinxerat beneficiis, vt omnia , quæ a gratisſimo animo proficiſci poſſunt, illi a me deberi ſemper exiſtimarim. Verum cohibenda nunc mihi uis doloris Aud.; parcendum lachrymis, atq; illorum iusſis obtemperandum, qui me hunc in locum aſcendere uoluerunt; commemorandæ ſcilicet quædam ex præcipuis amplisſimi viri laudibus : quod quidem munus quippe virium mearum imbecillitati longe grauiſſimum & ſi iure fortaſſe optimo recuſare potuiſſem (qui enim ad laudandum Panciroliū ipſe omni destitutus eloquentia ſufficiam , quē pro dignitate laudare ne diſertiſſimi quidem oratores poſſent?) minime tamen faciendum cenſui , vt eius uiri , quem omni ſemper laude digniſſimum iudicaui, quemq; , dum anima ſpirabo mea, perpetuo prędicabo, publicam laudationem recuſarem. Conabor igitur pauculas quaſdam ex plurimis tanti viri laudibus exprimere ; qua in re ſi forte minus eloquens, immo vero (id enim potius eſt dicendum)ſi rudis, atq; infans in dicendo iudicabor: illud me nō mediocriter ſolatur, ac reficit, quod me ſaltem erga humaniſſimum præceptorem pium , & pro uirium mearum modulo gratum exhibuero. Verùm vndenam hæc mea proficiſcetur oratio? Dicam ne, eum ex nobilisſima ortum patria, hoc eſt ex illa vrbe, quæ a Lepido condita, vel, vt pleriq; malunt , instaurata cum aliis multis nominibus, tum hoc maximè vigere exiſtimatur , quod ei quaſi fœcundiſſimę parenti ſummos, ac præſtantisſimos in omni diſciplina viros Reſpub. litteraria refert acceptos? Dicamne, eum

ex familia natum Pancirola, quam omnibus ornamentorum generibus ita condecoratam constat, vt merito inter eius vrbis præcipuas commemorari queat? Dicam ne, patrem ei fuisse Albertum, virum non tam summa Iurisprudentiæ ornatum cognitione, quā summum ob singularem probitatem, fidē religionem, innocentiam ipsius iurisprudentiæ ornamentum, & Serenissimis Ferrariæ Ducibus adeo carum, quam qui maximè? Dicam ne eum optima fuisse valetudine, vt non modo nullis pene vexatus vnquam morbis septimum supra septuagesimum ætatis annum attigerit; sed in hac ipsa etiam postrema ætate, qua plerosq; languere conspicimus, corporis vires quasi alter Cato haud magnopere desideraret? Minimè vero, auditores. Laudentur hæc in aliis, celebrentur iu iis qui patriæ splendore, qui maiorum meritis, qui naturæ muneribus contenti nihil commendatione dignum, & laude sibi agendum existimant. In Guido vero Pancerolo qui patriæ, atq; familiæ maiorem reddidit laudem, quam accepit, qui paternam gloriam non æquauit modo, sed etiam superauit, qui deniq; naturæ bonis non ad uoluptatem, sed ad communem hominum vtilitatē, & commodum; non ad explendas, vt multi, libidines, sed ad virtutes exercendas semper est usus, non modo non celebrentur, sed pro nihilo prorsus habeantur. Quid igitur dicam? Dicam, auditores, eum bonis illis, quę sapientum omnium consensu cæteris longe præstant, quæ, vt ille ait, neq; eripi, neq; surripi possunt, quæ uetustate nō senescunt, quæ neq; incendio, neq; naufragio amittuntur, quæ nulla temporum, ac rerum uarietate mutantur, quibus deniq; homines mortui spirant, extincti splendescunt, & vel post funerum, & exequiarum iusta in omnem su

 persunt

persunt æternitatem, dicam, inquam, eum animi bo nis ita pręditum, atq; instructum fuisse, vix ut sciam, an elapsæ iā ætates talem quēquam protulerint; su periorem certe neminem vnquam extitisse mihi iure optimo posse videor affirmare. Nam cum primum, vt ita dicam, ex incunabulis prodiit, & articulate loqui coepit, ad ingenuas artes capescendas, im bibendasq; disciplinas illas, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, tanto studio se contu lit, vt breuissimo temporis spatio doctissimis viris Sebastiano Corrado, & Bassiano Lando facem, vt ita dixerim, ei pręferentibus, summam, ac plane in credibilem fecerit progressionem. Itaq; illa ætate, qua cœteri vix quidquam sapere existimantur, Latinam, & Græcam linguam ita callebat, vt eas nō labore sibi, ac studio peperisse, sed ipso cum lacte su xisse videretur. Hinc effectum, vt omnes vel mediocri iudicio prædi ti paucis illum annis ad summū honoris, & gloriæ apicem non magno negotio peruenturum prænunciare non dubitarent: vulgare enim, ac peruagatum; quemadmodum ver, quan tę futuræ sint fruges, demonstrat; ita prima vitæ tem pora, quid a reliqua expectari posit ętate, plerunq; significare. Cum verò ad iurisprudentiam, vt sua cuiq; in nata sunt studia, natura magnopere inclina retur, ac propenderet, atq; ad eam amplectendam paterno non mediocriter alliceretur exemplo, Ferrariam annos natus septendecim sese contulit, vt tā præclare, illustriq; disciplinæ, quam coeterarum reginam merito appellauerim, operam in illa urbe nauaret. Ibi aliquam diu clarissimos Iurisconsultos Pasetum, & Hyppolitum Riminaldum audiuit, quorum ductu, & auspiciis cum plurimum profecisset, Ticinum profectus est, vt Andream Alcyatum

virum

virum in omni pene eruditionis, atq; sapientię genere perfectum, ac perpolitum audiret; Platonem scilicet imitatus, qui vt rerum tum humanarum, tum diuinarum cognitione, atq; vt vno dicam verbo, philosophandi gloria coeteros antecelleret, præcipuis ætatis suæ philosophis operam dare voluit: Itaq; licet pluribus annis Socratem mortalium omnium ipsius oraculi testimonio sapientissimum Athenis audisset; magnam tamen Græciam petiisse fertur, vt Pythagorçum præceptis, ac disciplina imbueretur; neq; adhuc extincta ingenti illa, qua flagrabat, discẽdi siti, in Aegyptum nauigauit, vt sacerdotum Aegyptiorum, qui tunc vbiq; gentium mirum in modum prædicabantur, doctrinam degustaret; Persas etiam, atq; Indos, si Apuleio credimus, ad hauriendam Magorum. & Gymnosophistarum sapientiam aditurus, nisi propter bellorum turbines, quibus tunc uniuersa prope Asia agitabatur, iter sibi minus facile, ac tutum fore putasset. Huius igitur tam præclari, ac pene diuini hominis vestigia secutus, vt dixi, Pancirolus Ticinum ad Alcyatum audiendum se contulit ibiq; cum aliquandiu in iure desudasset, & sapientissimi uiri doctrinam sibi satis gustasse uideretur, Marianum quoq; Socinum, qui Bononiæ magno studio forum uel ex remotis locis conuentu iura profitebatur, sibi duxit audiendum; demumq; in hanc nobilissimam, & toto terræ ambitu celeberrimam bonarum artium palæstram, in qua Bartoli, Baldi, Alexandri, ac deniq; clarissimi utriusq; Iuris athletę vires patefecerunt suas, sese recepit, vbi maiore, quã vsquam antea animi contentione ingenii neruos exerceret, & optatum Doctoris nomen consequeretur. Hic dici facile nequit auditores, quam carus tum ob acumen ingenui, tum ob morum probi-

tatem

tatem cum aliis in locis tum uero Patauii omnibus illis fuerit, qui ea tempestate legum expediebant no dos, & studiosam Iuris Pontificii, atq; Cæsarei iuuentutem publico munere erudiebant. Erat temporibus illis iucundus Marco Mantuæ Benauidio, cuius mortui gloria uiuiet semper in memoria viuorum. Diligebatur a Iulio Oradino, qui acutissimus inter præcipuos sui temporis legum interpretes a cunctis est habitus. Quid multa? Neminem prorsus ex eruditissimis illis uiris reperisses, qui eum longe carissimum non haberet, atq; eius honestissima cõsuetudine non mirifice oblectaretur. Interea cum vt fit, adhibendus esset, qui iuris ciuilis elementa, hoc est Iustiniani Cæsaris institutiones e secunda cathedra explicaret, & plurima, eaq; nõ leuia suæ ipse iam præbuisset argumenta virtutis, neminem ii, quorum eo tempore consiliis litterarum studia regebantur; viri, vt plerique omnes, quibus id muneris à Serenissimo Senatu committitur, summæ eruditionis, & singularis, acerrimiq; iudicii; neminem inquam, tales viri ad huiusmodi prouinciam suscipiendam eo aptiorem iudicarunt. Quare posthabitis plurimis, & his quidem non obscuri nominis Doctoribus, qui ad eam cathedram toto pectore anhelabãt; Guidum Pancirolum, licet nondum docendi ius, & facultatem accepisset, hoc est, nondum, ut moris est, Doctorum in album esset relatus, ad docendum euexerunt. O rem admirabilem memoriæ superiori nouam, posteritati prædicandam? Celebrantur Aphricani, quod antequam eis Consulatum petere per ætatem liceret, Consules vniuerso gestiente populo omnibus sunt suffragiis declarati. Commendatur Cn. Pompeius, qui cum nondum vel magi-

ſtratum vllum gerere, vel in Senatum venire poſſet, ad maximum, ac turbulentisſimum bellum gerendum, nemine fere non approbante, factus eſt Imperator. Cur non laudetur Pancirolus, qui antequam Doctoris ius, ac nomen conſequeretur, ad docendũ in Patauino gymnaſio, hoc eſt in luce Italiæ, in oculis gentium, in ipſo Sapientiæ domicilio ſummo, ac plane mirabili omnium plauſu eſt electus? Sed quemadmodum, ut ait Cicero, ab excellenti, eximiaq; virtute non eſt progreſſus expectandus ætatis, ita in iis, quos ad omnes quantumuis inuolutas, & obſcuras quæſtiones euoluendas, & illuſtrandas aptiſſimos conſtat, non magnopere, requirendos eſſe titulos graues, & cordati homines ſemper cenſuerunt. Hoc igitur uix quartum ſupra uigeſimum agens annũ cohoneſtatus munere Guidus noſter; moxq; à nobilisſimo Iuriſperitorum Collegio omnibus, nõ dico conſentientibus, ſed eximiam Iuuenis ſapientiam admirantibus Doctor renunciatus, quanta Deus immortalis laude, quam inſigni, atq; præclara hominum acclamatione idem munus obire cæpit? Quid dicam? Studioſorum confeſtim omnium ora, atq; oculos in ſe ita cõuertit, vt licet cũ uiro cõfirmatæ iam gloriæ Hieronymo Campiſamperio illo, qui egregias in nonnulla Inſtitutionum capita edidit lucubrationes, in huiuſmodi munere decertaret, parẽ tamen ſtatim cum eo habere coeperit auctoritatem, & illum auditorum multitudine, atq; frequentia ſuperaret potius quam æquaret. Quanquam nil mirum: licet enim intra iuuentutis annos adhuc verſaretur, ea tamen perſæpe docebat, quæ doctiſſimi fere ſenes ignorabant, vt ętatis immaturitatẽ doctrinæ grauitas, atq; maturitas longo interuallo ſuperaret

ret Inuitabat illud quoq;,ac propemodum rapiebat ad eum audiendum non paucos,quod in patefacien dis legum mysteriis non , vt sæpe multi,ieiune,& exiliter animi sui sensa promebat,nec barbaro illo,& inepto vtebatur dicendi genere , cuius fœdissimis sordibus (vera effari liceat) pseudolatini interpretes ius Romanorum præstantissimum polluerunt, & inquinarunt; sed singula tanta copia,& vbertate, tantoq; sermonis nitore,& ornatu explicabat,ut aureum orationis flumen fundere videretur . Itaq; qui se in ipsius tradebant disciplinam , haud facile statuere poterant, num summum potius Iurisconsultum,quam disertissimum audirent oratorem . Quid moror? Ita eruditione, ita eloquentia præstabat, vt non quemadmodum olim L. Crassus inter Iurisconsultos eloquentissimus,aut quemadmodum Q. Scæuola inter eloquentes iurisconsultissimus diceretur; sed omnium iudicio & inter disertos ipsos disertissimus, & inter Iurisperitos , quoad iuuenilis ferebat ętas,iurisperitissimus haberetur . Hac tanta cum laude cum per septennium ad Institutiones exponendas operam accommodasset suam, Matthæusq; Gribaldus,qui e secunda cathedra Ius Ciuile uespertinum explanabat, ex hac vrbe discessisset,Panci rolus incredibili omnium gaudio,qui tunc Patauii ad Iurisprudentiam incumbebant, ad idem ius explicandum traductus est; arduum sane munus , & graue,ac non nisi prouectioribus ætate viris committi solitū ; sed ita Pancirolus sese omnibus confestim in illo obeundo probauit,vt aptiorem ad illud sustinēdum desiderari,nedum eligi potuisse neminē re ipsa apparuerit. Celeberrimum hanc ob causam non Patauii modo,vt olim,sed in vniuersa Italia , atq; apud exteras etiam gentes , remotissimasq; nationes

nomen eius esse coepit. Quamobrem qui studiosos ex ædibus ad ludum ad se audiendum antea protraxerat, coepit quamplurimos ex longinquis regionibus, ac propemodum ex vltimis Europæ angulis Patauium sui nominis celebritate perducere, vt hac vna de causa Patauinum Gymnasium multo quam ante florentius crederetur. Nec deerant, qui se fœlices existimarent, quod in ea tempora incidissent, quibus tantum virum audire, & eo duce legum difficultates superare possent, neq; sibi Magno Alexandro innidendum censerent, cuius patrem Philippũ lætari solitum ferunt, quod is eo seculo natus esset, quo a præstantissimo philosophorum, & summo sapientum coryphęo Aristotele bonis artibus, ac disciplinis imbueretur. Qua in celebritate famę, & incredibili sapientię prope diuinæ gloria & si multa Aud. non immerito commendari possent, ego tamen nihil admiror magis, quam summam Panciroli modestiam; qui, licet tantum sibi ab omnibus tribui videret, quantum fortasse vnquam nemini, ab omni tamen non arrogantia modo, verum etiam arrogantiæ suspicione sic aberat, vt quantum coeteros eruditione, tantum modestiæ laude præstare crederetur, & magnitudine gloriæ, atq; hominum applausu ne minimum quidem elatus dici posset. O virum singularem dignum sane, quem omnes vel mortuum ament, ac venerentur, cui statuæ erigantur, & monumenta, quem omnes linguæ prædicent, de quo denique nullum vnquam seculum, nulla ætas conticescat. Verum haud æquum est auditores, me in celebranda Guidi Panciroli Sapientia, atq; in docendo præstantia ita immorari, vt earum virtutum, quas illi in cælum quosdam quasi gradus fuisse sperare & possumus, & debemus; quibus cum

omnes colebbnt, atq; obseruabant, & quę vel solæ nomen eius ad omnem possent commendare memoriam obliuione captus videar. Quis enim quæso non miretur summam per totam uitæ curriculũ continentiam, quem nunquam iuuẽtutis calor, atq; impetus uincere, nunqnam voluptatum esca pertrahere, nunquam illecebrę muliebres irretire potuerunt? Alexandrum Macedonem, & Superiorem Aphricanum vniuersa demirata est antiquitas, quorũ alter cæso, atq; fugato Darii Persarum Regis exercitu vxorem eius, quę formæ pulchritudine, ac uenustate omnes eius sæculi mulieres præstare credebatur, nec non filias duas virgines matri quam simillimas ita in castris habuisse dicitur, vt non modo ex eo turpe nihil vnquam audiuerint, sed inter castissimas, atq; integerrimas fœminas, immo uero in sacris ædibus degere uiderentur. Alter uero recentiore Carthagine, quam in Hispania quondam stetisse legimus florentissimam, summa fœlicitate expugnata, formosissimæ uirginis ex magno captiuarum grege ad se perductæ despexit complexus, & integram, atq; inuiolatam ei, cui desponsatam audiuerat, restitui mandauit. Magna profecto res, magna laus; sed quanto maior talem toto vitę tempore se præbere, quales ii semel fuerunt, & in tanta infirmitate, atq; fragilitate naturæ libidinis vim, & ardorẽ adeo comprimere, vt nullum vnquam excitare potuerit incendium? Iam vero quis eiusdem nõ laudet eximiã, ac prope singularẽ in colẽdo Deo pietatẽ, ac religionẽ qui licet grauissima rerũ more perpetuo premeretur, quotidie tamẽ rei diuinæ humilis, ac supplex ītererat; qui festis diebus sacrosãctas Virgini genitrici preces, ac laudes, quas vulgo officiũ appellãt, sũma veneratione recitabat; qui sacra tã priscæ,

quã nouæ legis uolumina,& aurea ſãctorũ patrũ mo numẽta frequẽtiſſime euoluebat; qui tota hebdoma da, qua Chriſti Domini,ac Dei noſtri Sacratiſſima recolitur pro humani generis libertate perpeſſio, pane tantum,& aqua ueſcebatur; qui reliquo quadragenarii ieiunii curriculo non modo iuxta præſcriptum Eccleſiæ ſemel in die cibum ſumere, ſed á piſcibus etiam abſtinere conſueuerat; qui denique; errata confeſſione crebro expiare, & ſe diuino Chriſti corporis viatico reficere ſolebat. Quid dicam de liberalitate erga inopes, & egentes? Quot ipſe puellarum pudicitiæ periculum ſubeuntium collatis in earum vſus pecuniis pudorem, ſeruauit, ac famam? Quot ægros non tam grauitate morbi,quam ſumma rerum omnium inopia periclitantes ære ſuo ſuſtentauit? Quot in carcere degentibus, atq; omni non modo auxilio, uerum etiam ſpe deſtitutis opem tulit? Quot ſenibus, quot uiduis, quot infantibus paupertate ſquallentibus, & fame propemodum pereuntibus omnia neceſſaria ſuppeditauit ad uictum? Sed quid ego ſingula commemoro? Vidiſtis,dum uiueret, aſſiduam ad eius fores pauperum frequentiam,quaſi ædes illę quidam eſſent,vt erant, egentium portus,atq; perfugium, Audiſtis, dum efferretur, eorundem collachrymationem patrem ſibi ereptum eſſe clamantium, & cælum gemitibus, querelisq; complentium. Nec vero omittenda in cauſis diiudicandis, & reſponſis controuerſis de rebus reddendis ſumma eius,& incredibilis,ac poſt hominum memoriam fere inaudita integritas, qui nunquam auro, nunquam gratia,nulla vnquam deniq; re adduci potuit, vt vel latum recto e tramite digitum diſcederet, ſed præ oculis ſemper iuſtitiam habuit,& æquitatem,vt eius non tam verbis docen-

do,

do, quam re ipsa iudicando, & consulentibus respõdendo summus fuerit assertor, ac vindex, iureq; optimo de illo dici posſit, ꝙ de Seruio Sulpitio scriptum reliquit Cicero; eum non tam iurisconsultum fuisse, quam æquitatis, & omnia, quæ proficiscuntur à legibus, summo semper studio ad facilitatem, iustitiãq; retulisse, neq; litium actiones maluisse constituere, quam controuersias tollere. Quid hac in re opus est pluribus? Perditisſimis hisce temporibus, quibus innumros vitiorum omnium maculis aspersos, ac turpiſſimè foedatos uidemus, & cõsenescente iam mundo omnia in dies singulos in peius ruere cõspicimus; merito mea sententia dici potest, uirum hunc absolutum quoddam integerrimi, atq; innocentisſimi hominis specimen, & exemplar extitisse, atq; in his tantis, tamq; coecis errorum nubibus ipso vitæ genere ueram, quæ ad coelum ducit uiam, omnibus commonstrasse. Age uero cum is Aud. Patauii sexdecim annis uespertinas iuris ciuilis quæstiones, atq; difficultates maiore semper cum laude, & nominis celebritate pertractasset, & defuncto Augustæ Taurinorum egregio Iurisconsulto Simone Craueta a Serenisſ. Allobrogum Duce ad Taurinense gymnasium nobilitandum amplisſimo proposito præmio inuitaretur; morem sibi gerendum censuit optimi, ac præstantiſſimi principis uoluntati. Itaq; anno 1571 relicto Patauino gymnasio Taurinum concesſit, vt ibi pomeridianis horis e prima cathedra collega Bernardo Trotto I. C. clarisſimo (summo enim uiro summos semper contigit habere collegas) Ius Cæsareum interpretaretur; qua in ciuitate quanta semper gloria id muneris fuerit executus, commemorare in præsenti necessarium non arbitror: qui enim adolescens hac in re documenta

præstantiæ dederat singularis, & paulo post omnem laudis superarat excellentiam, hic natu iam grandis qualem tandem sese præbuerit, unusquisque facillime cogitatione consequi potest. Nouus, nouus sane Bartolus, nouus Baldus (etsi quid ego Baldum loquor, aut Bartolum?) nouus Papinianus exortus illa in urbe uidebatur; ut gymnasium illud æque clarum, ac celebre uix, aut ne uix quidem unquam fuisse omnes tum ciues, tum peregrini & sentirent, & prædicarent. Quam carus autem florentissimæ illi, atq; innumerabilibus prope nominibus præclarissimæ ciuitati semper fuerit, satis meo iudicio testatur, atq; declarat, quod eum post aliquot annos inde discedentem suos inter ciues adscripsit; neq; egregiam suam in illum uoluntatem satis adhuc proditam, & patefactam existimans eidem duo salina argentea inaurata, & totidem magni pretii pocula dono dedit. Ipse uero Sereniss. Allobrogum Dux Emanuel Philibertus (proh Deus immortalis) quanti semper eum fecit? quanta humanitate, ac liberalitate fouit? Dilexit, uel coluit potius P. Virgilium Augustus Caesar, qui nil unquam ei negandum existimauit, præter illud, quod ipse in ultimo uitæ actu iudex in res suas plus nimio seuerus depoposcerat, libros uidelicet Aeneidos præstantissimum ingenii sui monumentum igni mandari. Magnifecit Iacobus Carrariensis Franciscum Petrarcham, qui creberrimis ad eum missis per uniuersam Italiam, addo etiam Narbonensem Galliam, litteris, atq; nunciis rerum ab eo suarum sedem, ac domicilium Patauiũ transferri uoluit, & hominem plane diuinum honoribus, atq; muneribus ad summam usq; inuidiam semper est prosecutus. At non minus profecto a Serenissimo, atq; liberalissimo Duce, & ingeniorum

vt

vt amatore eximio, ita æstimatore egregio, & singulari Pancirolo est unquam tributum; quin immo & hos, & cæteros omnes, a quibus litterarum quempiā magnifactū sciamus, fortasse superauit: cuius præclarissimis insistens vestigiis Sereniss. eius filius Carolus Emanuel Pancirolum, ubi patri succesit, omni humanitatis, atq; beneuolentiæ genere semper est amplexus; quin etiam cum mille quotannis aureos ordinarii stipendii nomine, ei a parente numeratos nosset, honoris ergo, & suæ in illum beneuolentiae testandæ causa centum adiungendos putauit. Vnde cim Aud, annos Pancirolus Taurinensem cathedram tenuit, nec unquam quippe Sereniss. domus humanitati, atq; beneficentię summopere obstrictus de illa relinquenda cogitasset, si in ea degens urbe suæ potuisset consulere ualetudini. Verum cū illius aeris grauedine alterum oculum pene amisisset, altero uero non mediocriter laboraret, inde discedendum, & Patauium, ubi summus, & nobilissimus in gymnasio locus ei a Sereniss. Senatu Veneto deferebatur, sibi commigrandum existimauit, tanto quidem Serenissimi Ducis mærore, qui eum gymnasii Taurinensis lumen, & columen iudicabat, ut ei stipendium ad mille, & quingentos aureos, quo illū Taurini detineret, augere voluerit. Verum Pancirolo non pecunias aucupante, sed de vna nobilissimi, & maxime necessarii sensus ualetudine aut aliqua ex parte recuperanda, aut non penitus amittenda solicito illius, uti cupiebat, animum flectere, & discessum impedire non potuit. Anno igitur 1582, ætatis uero suæ nono supra quinquagesimum Patauium Pancirolus reuertitur, tanta studiosorum iuuenum lætitia, qui uberrimos se fructus ex eius explicationibus norant percepturos, tanto ci-

uium

nium plausu, quibus cum alias ob causas, tum cura ob facilitatem morum, & modestiam singularem ca rissimus semper fuerat, tanto ipsius Senatus gaudio, qui eius nomine Patauinum gymnasium iterum cō decorari maxime cupiebat, vt Patauium quasi numen qnoddam, si dicere fas est, reuersum uideretur. Obierant Aud. paucis ante mensibus præclarissimi, atq; iuxta tritum illud uetustate prouerbium omnibus absoluti numeris iuris interpretes Ioannes Cæphalus, Tiberius Decianus, & Marcus Mantua Benauidius. Itaq; his tribus extinctis luminibus immutata Academiæ Patauinæ facies, amissum decus, & ornamentum, obscuratus deniq; splendor uidebatur. At Panciroli reditu redditam confestim pristinam illi speciem, detractum decus restitutum, amissum deniq; splendorem recuperatum, recuperatum dico? amplificatum, atq; auctum omnes iudicarunt. O fortunatum gymnasium, cum talem, ac tantum uirum recuperasti; fortunatissimum, cum erudita eius uoce circunsonabas; nunc vero infœlicissimum, atq; miserrimum, cum ornamento tam præstanti, & egregio priuatum, ac destitutum iaceas. Hic Aud., vt propemodum infinita sileam, temperare mihi certe nequeo, quin de summa Panciroli cū erga omnes, tum uero erga studiosos benignitate, de cura, atq; studio in eorum adiuuandis conatibus, mi nuendisq; laboribus pauca dicam. Ecquis enim quæso unquam fuit, non dico ex illis, qui ei familiares erant, & cogniti, sed ex ignotis, & externis, cui Panciroli fores, atq; aures non semper patuerint? Rogares, vt legem difficilem, & perobscuram exponeret? Exponebat. Vt dubitationem ex publica, ut interdum fit, explicatione emergentem tolleret? Tollebat. Vt periculum faceret, num ad suscipien-

dam,

dam,ut appellant, Doctoris lauream absq; nominis periculo posses accedere? Faciebat. Quid plura? Nemo unquam fuit tam ignotus, tam fortunæ desti tutus bonis,loco deniq; natus tam humili, cui non ille suam libentissime operam detulerit; quin immo cum sibi de aliquo benemerēdi præstabatur occasio,tum se beneficium non dare; sed longe maximum,ac prçclarissimum accipere existimabat. Quāquam ne illud quidem in hac postrema, in qua uersor,oratione silentio prçtereundū reor; ex eius ludo quasi ex præstantissimo quodam summorum hominum seminario plurimos prodiisse, qui non solum in iure dicundo, & explicandis,legibus mirum in modum excelluerunt,verum etiam ad altissimos dignitatum gradus peruenere; ex quibus ut omttam Episcopos,& Cardinales,duo certe Pontifices Max. prætermittendi non sunt,Greg.xiiii. proximis annis extinctus,& is,qui in præsenti singulari quadam uirtute,&inaudita fælicitate regit, ac moderatur orbē terræ Clemens viii,qui quemadmodum adolescens eum semper plurimi fecerat, & purpuneo fulgens galero magno in pretio habuerat;ita ad Summi Pōtificatus apicem euectus,&vniuersæ dux,&caput cōstitutus Ecclesiç eum,vt ferebatur, in amplissimum purpuratorum patrum coetum cooptasset, nisi eius pectus omni prorsus dignitatum cupiditate uacuū cognouisset, eumq; multo libentius reliquum uitæ priuatim,quam Romæ inter Dynastas, ac Principes acturum existimasset. Rerum, opinor, humanarum Pancirolus imbecillitatem cogitabat,atq; illam naturæ legem,qua ne ipsi quidem Reges, ac Cçsares se solutos gloriari possunt, semper habebat ante oculos; moriendum scilicet esse,& hanc, quæ dicitur uita,non uere uitam,sed iter ad uitam esse, nec quasi

domicilium, sed quasi diuersorium a rerum omniū parente natura, siue a naturæ parente Deo hominum generi esse tributam. O uere præclaros, ac pene diuinos huiusmodi homines, quibus cum nullus honor tribui non debitus possit, honores tamen refugiunt potius, quam appetant, & quo propius ad immortalitatem accedunt, eo sæpius de morte cogitant. Hic est apex omnis eruditionis, atq; sapientiæ eo pluris meo quidem iudicio faciendus, quo pauciores vel ex iis ipsis, qui totam in bonarum artium studiis ætatem conterunt, qui se nihil nō tenere profitentur, qui deniq; ab omnibus quasi totidem oracula coluntur, ad eum peruenire conspicimus. Te nunc appello Guide Pancirole vir clarissime, te inquam appello, & quando tibi uiuenti quas ob beneficia erga me tua gratias tibi referre & debebam, & optabā, ob mearum tenuitatem uirium referre nunquam potui; eas nunc saltem, antequam oculis subtrahare nostris, hac lectissimorum hominū audiente corona, ago tibi gratias, quas possum; non id solum curaturus, ut meritorum in me tuorum memoria infixa sit animo meo sempiterna, sed etiam, ut quemadmodum te uiuentem semper ut patrem obseruaui; ita & extinctum parentis semper nomine appellem. Vos uero nobilissimi iuuenes, qui præstantissimo præceptore, uel beneuolentissimo potius parente orbati estis, cogitate eruditissimis ab illo editis operibus, multis etiam edendis, eum uobis esse aliqua ex parte superstitem, nec si illa euoluere uolueritis (fore autem non dubito, quin omnes uelitis) fructu uos illo penitus carituros, quem ex eius doctissimis explicationibus percipere solebatis. Soletur etiam cum uos, tum cæteros omnes, qui ob ornatissimi uiri obitum mœrent (quamquam quis non

mœret) ſed omnes,inquam,id conſoletur; quod cũ tam piam,atq; religioſam uitam traduxerit, eiuſq; mors conſentanea uitæ fuerit ſanctisſime, atq; innocentisſime actæ nihil ei morte mali accidit, ſed ex his miſeriis, & ærumnis ad cæleſte illud beatorum animorum domicilium euolauit, ut licet uitam cũ morte commutaſſe uideatur, te tamen uera non uitam cum morte,ſed mortem cum vita ab eo commutatam eſſe existimare debeamus.

Habita Patauii in Auguſtiſſimo D. Antonii templo Ann.Sal.1599. 16. Kal.Iun.

De Laudibus Historiæ Francisci Vidua ORATIO.

SI quemadmodum nobilissima de re, & summis omnium consensu laudibus dignissima, Præstantiss. Aud. mihi hodierno die habenda est oratio; ita parem dicẽdi ornatum, atq; elegantiam adhiberi a me posse sperarem; uerendum sane mihi non esset, quin absq; ullo satietatis, atq; fastidii genere attento ab omnibus animo audirer. Historia nanq;, cuius præstantiam, atq; nobilitatem perstringere, & quasi regionem quandam immensam angustissimis perexiguæ tabellæ finibus circumscriptam hodierna luce proponere mecum ipse constitui; adeo semper a sapientibus commendata, tantiq; habitá est, vt & doctissimis auribus uestris, & huius celebritate loci nullum prope dignius tractari posse argumentum mihi persuadeam. Verũ quantum rei ad dicendum propositæ dignitas mihi affert alacritatis; tantum incutit metus uirium mearum imbecillitas: fieri nanq; non posse intelligo, ut hac perexigua, & propemodum nulla dicendi facultate æquem tantæ rei magnitudinem, & summos sapientum coryphaeos, floremq; nobilitatis, ac iuuentutis, quæ in Patauino gymnasio literarum studiis operam nauat, rudi, atq; incompta oratione mea oblectem. Ac sane ni summa illa, & singularis humanitas, quæ vestris in frontibus elucet, me solaretur, & recrearet, deficerem ipso in limine, ac ne uerbum

bum quidem facere auderem; sed hæc iacentem animum, curaq; distractum ancipiti erigit, & consolatur: sperare enim iubet, ut quemadmodum hodie locum istum præsentiæ vestrræ lucæ illustrare voluistis; ita me de historiæ laudibus differentem beneuolo, atq; attento animo audiatis. Nec aliud ab illis profecto sperare mihi posse videor, quorum intueor neminem, cuius virtutes iure optimo historiarum monumentis ad gloriam mandari non possint sempiternam: Etenim si, quemadmodum ille ait,

Carmen amat quisquis carmine digna gerit,

cur ii, quorum vita luculenta est historia dignissima, historia non ament, ac magnifaciant, eiusq; laudes uel rudi, atq; inornata, commemoratas oratione benignis, attentisq; auribus non excipiant? Alacri igitur animo, nobilissimi auditores, de re tanta dicere aggrediar, & quando uobis ob mei tenuitatem ingenii non uerborum leporem, non sententiarum grauitatem, non deniq; elegantiam, & eruditionem tanta frequentia, tantoq; silentio dignam promitti à me posse perspicio, eam saltem promittam breuitatem, quæ in tam ampla materia, in tanta rerum dicendarum copia, in tam ingenti, immensoq; campo maxima esse potest. Atq; ut hinc potissimum ordiar, nemini mea sententia dubium esse debet, quin eorũ omnium non res modo gestæ, sed ipsa etiam nomina, qui inter cęteros homines quasi inter minores ignes primæ, vt appellant, magnitudinis sydera claruerunt, breuissimo temporis curriculo essent obscurata, & coeca obliuionis vndiq; circumfusa caligine miserandum in modum crassissimis in tenebris delitescerent, nisi perenni, ac sempiterno historiarum lumine quasi clarissimą quadam face illustrarentur. Etenim statuæ, sepulchra, fornices, & coetera id genus,

nus monumenta, atq; trophæa, quæ ad summorum virorum nomen ab interitu vindicandum, & eorũ gloriam in omne tempus propagandam erigi consueuerunt labentibus annis sensim consumuntur, & pereunt. Nil est enim, ut ait Cicero, opere, & manu factum, quòd aliquando non conficiat, & consumat vetustas; vetustas, cuius morsibus ne durissima quidem marmora obsistunt, de qua haud scio, num elegantius, vel sapientius summus ille poëta lepore, atque eruditione præditus admirabili.

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas
Omnia consumitis vitiata dentibus æui

At historia annotum cursu non vincitur, temporis, aut vetustatis ditionem non agnoscit, res ex mortis faucibus eripit, alit in omnes annos, ac deniq; immortalitati commendat. Quare si Milciadis, Themistoclis, & cæterorum famam Græcorum nullum adhuc temporis spatium definire, ac circumscribere potuit; si Alexandri Macedonis nõdũ nõ modo nõ deletũ, sed ne vlla quidem ex parte diminutum est nomen, si Fabritii, si Marii, si Pompeii, si reliquorũ, quorum incredibili, ac prope diuina virtute fractis barbaris populis, & victis, atq; perdomitis omnibus gentibus, atq; nationibus terrarum orbis Romanũ Imperium agnouit vniuersus; si horum, inquam, omnium post tot annorum, immo vero sæculorum spatia viuit, ac fulget laus, & maiore semper cum gloria, atq; hominum admiratione per vniuersum terræ ambitum nomen eorum circumfertur, id uni sine dubio historiæ acceptum est referendum. Interierunt auditores iampridem statuæ, quæ in ipsorũ honorem, ac decus fuerunt erectæ; disiecta, & ad nihilum sunt redacta sepulchra; uastissimorum fornicum vix, vt ita dixerim, proiecta, & conculcata ia-

cent

cent cadauera; cætera deniq; omnia laudis insignia ornamenta honoris, monumenta glorię iamdudum perierunt: vna, vna res eorum gestas historia prædicat, & in omnem, si æternus foret mundus, prædicaret æternitatem. Itaq; mihi singula hac in re diligẽter perpendenti nō ab re fecisse visi sunt Alexander Macedo, & summus inter Latinos orator M. Cicero, quorum ille, cum ad bella proficisceretur, plurimos secum scriptores ducere consueuerat, vt quæ summis ipse laboribus, atq; periculis gerere conabatur, memoriæ proderent; hic vero, cum in consulatu impiam, atq; nefariam Catilinæ contra patriam patefecisset coniurationem, totiq; vrbi subiectos prope iam ignes admirabili prudentia restinxisset, & sceleratorum hominum sicas in bonos omnes districtas ab eorū iugulis reiecisset, summis a L. Luceio precibus postulare nō erubuit, vt huiusmodi res, litteris commendaret, atq; Archiam ad easdem carmine celebrandas sua sponte erectum, & excitatum, vt pergeret, atq; perficeret, non mediocriter hortatus est. Quid commemorem C. Cæsarem illum, qui & eloquentiæ laude ad eundem Ciceronem proxime accessisse existimatur & bellicæ disciplinæ, atq; imperatorię uirtutis gloria non modo cum Alexandro Macedone conferri, sed longo etiam interuallo eidem præferri potest? An obscurum est, quo facilius rerum ab ipso gestarum memoria conseruari, & quasi æterno quodam vere florere posset, proprio illas calamo fuisse ab eo litteris consignatas? quin etiam cum, vt fit, magna ad Alexandriam accepta clade fugam arripere, & sibi natando consulere coactus esset; nihil potius habuit, quam ut scriptos a se commentarios elata inter natandum læua non sine ingenti labore, ac vitæ discrimine secum efferret;

quasi

quasi parũ fuisset innumerabiles hostiũ copias fudisse, prouincias subegisse quãplurimas, Cn. Põpeium, hoc est, ducem illius ætatis celeberrimum parua manu profligasse; ac deniq; superiorum omnium Imperatorum famę quasdam quasi tenebras ingenti gloriæ suæ lumine, atq; splendore offudisse, nisi earundem memoria rerum historiæ monumentis conseruaretur. O summam historiæ dignitatem. O præstantiam singularem, atq; omni non oratione modo, sed propemodum etiam cogitatione superiorẽ. Celebratur, auditores, atq; omnium propè vocibus in cœlum tollitur Medicina, quod humanum corpus diu conseruet incolume, immo vero, quod non nunquam homines alterum in sepulcro pedem iam habentes ad vitam reuocet, atq; animum intra has corporis compages vltra præscriptum, si credere fas est, aliquando detineat. At quando laudabilior historia, quæ non corpus, sed quod homini corpore longe carius esse debet, nomen, ac decus, non octoginta, vel nonaginta annorum spatio, sed in longissimum tempus, atque in omnem æternitatẽ tuetur, & conseruat. Equidem Aud. si historiæ hæc vna vis esset, nec alio posset nomine commendari, & extolli, nullis illam sermonibus satis ornari, nullis laudibus, vt par esset, efferri, nullis denique linguis pro dignitate celebrari posse contenderem. Verum quid de illo dicam, quod incredibili mortalium omnium consensu verissimum semper habitum constat; nullum esse vitium, ad quod, vt dicitur, velis, ac remis fugiendum, nullam extare virtutem, ad quam summo studio comparandam historia homines non inuitet, alliciat, compellat? Quis enim, quæso, esse potest tã parum de patria, & communi salute cogitans, qui dum legit Horatium Coclitem pro patria con-

seruanda

ſeruanda pontem contra omnes Porſennæ copias te nuiſſe; Curtium in vaſtum illum terræ hiatum ſeſe citato equo abſque vlla ſpe ſalutis dediſſe pręcipitem; Decios in armatos irruiſſe hoſtes, & illorum aduentum ſuis quodammodo corporibus intercludendum putaſſe; quis inquā eſſe poteſt, qui hæc dū legit, incredibili patriæ iuuandæ ſtudio non inflammetur, atque omnes pro illius ſalute tuenda, & dignitate conſeruanda neruos non intendat? Iam vero dum legimus ita in Romana Rep. iuſtitiæ cultum floruiſſe, vt duobus a Pyrrho fuſis, ac trucidatis Romanorum exercitibus, & libertate Reipub. in extremum penè diſcrimen adducta, Senatus non ſolum veneno, vt per ipſius familiares facile poterat, illum e medio tollere, atque omni ſe periculo, ac metu liberare noluerit; ſed eum etiam per legatos, vt à ſuis in poſterum diligētius caueret, commonendum putarit; quis quæſo ſummo iuſtitię amore non flagret, atq; nihil ea reperiri laudabilius, nihil præclarius, nihil deniq; homine dignius & ſentiat, & fateatur? Quid? Dum legimus Iulium Cæſarem cum nemine tam graues vnquam geſſiſſe inimicitias, quin occaſione ſibi oblata vel leui eas lubentiſſime deponeret, vt qui rerum omnium perpetuam ſeruare memoriam credebatur, is iniuriarum facillime obliuiſci uideretur; dū inuenimus Auguſtū in bello Mutinēſi, cū non modo de Imperio, ac dignitate, verum etiam de ſalute certaret, quotidie inter equorum pene fremitum, atque tubarum clangorem, & legere, & ſcribere, & declamare ſolitum; dum legimus Traianum tanta fuiſſe liberalitate, ac munificentia, ut non modo plurima ſemper, & maxima in priuatos omnes beneficia, muneraq; contulerit, ſed multas etiam urbes immunitate donauerit; dum inuenimus Robertum Siciliæ Regem cognitionem, atq; ſcientiam tanti feciſſe, vt ſi vel regno, vel litteris ſibi

carendum esset, multo se libentius cariturum regno asseuerarit; hęc, inquam, & alia eiusdem generis plurima, ac prope innumerabilia dū legimus, quis ad condonandas iniurias, ad turpe etiam euitandū, ad beneficia in omnes conferēda, ad ingenuas artes, ac disciplinas studiosissimè discendas mirum in modum non excitetur, & quasdam, vt ita dixerim, faces sibi ad sequenda tantorum vestigia virorum ad moueri non sentiat? Sed quid ego in re perspicua tam multa? Dicam breui, auditores. Historia ex leuibus constantes, ex ignauis fortes, ex effrænatis tēperatos, ex crudelibus clemētes, ex iracundis mites, ex iniquis iustos, ex auaris beneficos homines reddit, vt merito non tam vita memoriæ, tēporū testis, nuncia vetustatis, quam morum medicina, vitiorū expultrix, & uirtutum parens, atq; altrix possit appellari. Bene Petrarcha; qui cum a nonnullis sese reprehendi intelligeret, quod historiarum commemoratione in suis scriptis ultra quam satis esset, delectari videretur; id a se fieri respondit, quo facilius legentes ad virtutem alliceret: norat enim vir altissima præditus mente, ac meo quidem iudicio in omni ętate non laudandus modo, sed etiam admirandus; norat, inquam, esse nullo modo posse, vt qui res à summis viris pręclare gestas legit, maximis nō concitetur stimulis ad omnem laudem, atq; uirtutem. Memini, Auditores, Q. Fab. Max. & P. Corn. Scipionem, quos Romanæ Reip. propugnacula merito appellauerim, crebro, ut apud Salustiū legimus, dicere solitos; se, cum illustrium uirorum statuas intuerentur, uehementissime ad excolendam uirtutē, & gloriam comparandam excitari, & accendi consuesse; id quod mea sententia is, de quo sæpe iam dixi, C. Cæsar non uerbo, sed re haud obscurè testatus est: cum enim Gadib. ad Herculis Magni Alexandri conspexisset imaginem, ingemuisse dicitur, &

conti

continuo, vt verbis vtar Suetonii, ad captandas quã primũ maiorũ rerũ in vrbe occasiones missionẽ efflagitasse. Hæc si statuæ, & imagines non animorũ simulachra, sed corporum tã facile præstare queunt; quãto magis ad ea valebit historia, in qua ipsorũ animorũ effigiem summis ingeniis affabre pictã, & ad viuum expressã intuemur? Quanquã ne illud quidẽ in historiæ laudatione aut prætereundũ, aut paruifaciẽdũ reor, quod sẽper adeo verũ existimaui, quam quod verissimum; historiis nempe ad res omnes per agendas, & quælibet tractanda negotia, atq; obeunda munera homines mirũ in modũ iuuari. Sic .n. statuo; siue priuatus degas, siue publicis te reb. immisceas; siue secunda gaudeas fortuna, siue quatiaris aduersa; siue belli artibus, siue pacis muneribus delecteris, historiarũ cognitionẽ summo tibi semper fore vsui, & maximũ, ac prope incredibilẽ fructũ allaturã. Quod si cui minorẽ fortasse fidem facit oratio mea, cogitet hic ipse secum in historiis pleraq; omnia cõtineri, quę aut a maximis Regibus, aut a liberis ciuitatibus, aut a priuatis etiã hominibus tã prospero euentu, quã aduerso sunt gesta; vt necessario ex eis tãquã ex præstantissimo oĩum magistro, quid in quaqua re prodesse, quid obesse cõsueuerit, quid sequẽdũ, quid fugiẽdũ sit, perexiguo labore discere liceat. Quo magis meo iudicio cum aliarum historiarum, quas barbarorum iniuria, atq; immanitate periisse constat, tum vero illarum, quæ desiderantur T. Liuii Decadum est nobis deploranda iactura: quemadmodum .n. nec ciuitas ulla pace, ac bello, domi, forisq; terra deniq; & mari res aut plures, aut maiores gessit, quam Romana; nec ex tam multis, qui earundẽ historiã rerũ texere, sunt conati, quisquam id munus (nihil dico de elegantia) aut fidelius, aut diligentius, quã T. Liuius obiuit; ita ex illo opere, quasi vberrimo quodã fonte maiorẽ, quã ex alia qualibet Hi-

ſtoria hauriri potuiſſe utilitatē iure optimo dici poteſt. O iacturam immēsā,atq; æternis propemodū lachrymis deplorandā Ferunt Auguſtū Cęſarē cū P. Virg. libros Aeneidos comburi teſtamento mandaſſet, quòd nempe immatura correptus morte vltimam illis manum imponere nequiſſet; ferunt, inquam, Auguſtum id ſibi uetandum cenſuiſſe, & qui ſummo poetæ uiuenti nil unquā denegarat, morienti hac in re morem minime gerendū putaſſe: Exiſtimabat nempe uir nō mediocri, vulgariq; doctrina, nimiam, ac plane intolerabilem fore iacturā, ſi tam egregium, atq; præclarum opus, quale iam ab humanis ingeniis prodire vix poſſe putabatur, flammis uorandum traderetur. At Deus immortalis, quāto maiorem amisſis T. Liuii monumentis iacturam fecimus, in quibus non figmenta, & res ab omni veritate alieniſſimæ, quales poetarum ſcriptis contineri conſueuerunt, ſed res a ſummis viris incredibili uirtute, atq; prudentia geſtæ ſtylo omniū fœliciſſimo literis proditæ fuerant. Etſi quid conqueror, cum tāto malo mederi nullæ posſint quærelæ? Illi certè, auditores, magno apud omnes odio eſſe debent, qui ex remotisſimis terræ plagis, uel e medio potius ipſorum Tartarorū ſinu in hoc pulcherrimum totius orbis theatrum, in hanc amœniſſimam oīum regionū, in hoc uirtutū, ac diſciplinarū domiciliū irruētes nō modo agros depopulari, ciuitates expugnare, ſua cuiq; pretioſisſima eripere, uirgines, nuptaſq; uiolare, īnumerabiles bonorum ſtrages edere, ac deniq; præclarisſimas ædificiorū moles, & artis quaſi miracula diruere, & ſolo æquare nō dubitarūt, verū etiā (rē incredibilē) omne hiſtoriarū genus lacerare, cōburere, quouis deniq; modo perdere sūt conati; vt quæ tēporis imperiū, atq; tyrānidē nō metuunt; barbarorū tamē hoīum īmanitatē īfinitā, atq; omnī æuo deteſtabilē, & execrādā euadere nō oīno potuerint,

rint. Verum nescio quo pacto me & summæ dolor iacturæ, & pulcherrimi, ac prope diuini operis desiderium a proposito aberrare coegerit, & orationem a laudatione ad lamentationem, atq; obiurgationẽ traduxerit. Quare vt ad id, quod institui, reuertar, dubitandum minime censeo, quin historia ad prudentiam comparandam maxime accommodata putari debeat, & hominem ad res oẽs constituendas, ad quælibet gerenda negotia, ac deniq; ad omne officii munus instituat. Legi apud Ciceronẽ, cuius etsi cæteri linguã, ego tamen, vt verum fatear, non tã linguam sępe miror, quã pectus; legi, inquam, homines licet ad summam peruenerint senectutem; nisi tamen ex historiis aliquid interdũ sibi degustandum putauerint, semper non iniuria inter pueros referri posse: quod nẽpe quemadmodũ hos latet quidquid a tot gentibus, quæ hunc terræ globum incolunt, immo uero quidquid a suis ciuibus, quidquid a maioribus quidquid ab ipsis deniq; parentibus gestum fuerit; ita ab illis, quæ, antequam ipsi in lucem ederentur, acciderint, ignorari sit necesse. Non inepte M. Tulli litteris etiam prodere potuisses, iuuenes, si historiarum cognitione sint præditi, senes posse iure appellari: harum etenim ope non minore sæpe, quam senes, prudentiæ gloria efflorescunt, ĩmo sæpe eò maiore, quod hi rerũ sua tãtũ ætate gestarum, atq; harum quidẽ nõ oĩum, sed plerunque tenuissimæ solum partis notitiam habent; illi vero totam ante oculos habent antiquitatem, & quidquid pene a mundi primordiis gestum fuerit, perquã facile comprehendunt. Et vero Auditores, si Vlyssem antiquitas mortalium omnium longe prudentissimum duxit, quod Troiano bello interfuisset, quod multorum errore annorũ pleraq; maria lustrasset, quod coecos, ac temerarios bacchãtis fortunæ impetus haud semel sensisset, ac deniq; quod plurimarnm teneret mores gentium, atq; nationum; cur quæso is quoq; consilio, & prudentia non mirifice præstet, qui non unicum bellũ, sed quotquot ex omni pene memoria ubiq. terrarum sunt gesta perlegerit, qui omniũ prope vrbiũ, montium, marium, fluuiorũ situm ex historia didicerit,

cerit, qui varios, ac miserabiles casus, quibus mortalium subest cōditio, & ancipites humanorum euentus consiliorum in historia obseruarit, qui deniq; cuiuslibet populi, mores, leges instituta lectitauerit? Nisi forte temere fecisse existimamus aut Alexandrum Seuerum, qui eos, a quibus annales, & historias frequentius, atq; accuratius legi solitas nouerat, ad omnes bellicis de rebus consultationes quasi quosdā Nestoras adhibuisse perhibetur; aut Ioannem Galeatium Vicecomitem Mediolani Ducem, qui quo melius perfecti, atq; absoluti Principis partes obire, & oībus in reb. quid optimū factu ēēt, videre, ac diiudicare posset, succisiuis horis historias nō oscitāter legere cōsueuerat: quib. reb. effectū constat, vt alter Imperii dignitatē superiorū Cæsarū nequitia, & ignauia iā prope collapsā in veterē penè splēdorē, ac maiestatem vindicarit; alter vero populis sibi creditis ita p̄fuerit, & deuictis, atq; prostratis bellicosissimis, omniq; copiarum genere abundantissimis hostib., imperii fines paucorū annorū spatio tanta fœlicitate propagarit, vt à Romani conuersione Imperii ad ipsius vsq; seculum repetita memoria nullus in Italià Princeps aut imperandi disciplina clarior, aut opum magnitudine potentior, atq; illustrior fuisse existimetur. Quanquam quid disputo? Comœdia quippe ciuilis, atque priuatæ vitæ imagine, & quasi speculo hoīes ad præcauendos dolos, ad excolendam amicitiā, ad continendos in officio liberos (quid singula persequor?) ad oīa peragenda ita instrui pleriq; opinantur, vt eā humanæ vitæ magistram appellare non dubitent. Hinc nō deesse constat, qui quo facilius consilio excellere queant, & quasi prudentia cæteris longe superiores ab oīb. obseruentur, & suspiciantur, se se prope totos Comœdiarum lectioni dedendos existiment. Ergo quod comœdia, in qua pręter amātiū, vel potius amētium iras, querimonias, fallaces spes, inanes solicitudines vix quidquā reperies, cōplurium iudicio præstare pōt; id historia, qua res à summis viris oīb. plaudentib., atq; adeo mirantib. tum publice, tum priuatim gestæ continentur, nō lōge facilius p̄stabit, atq; perficiet? Verum longius multo quā

vo-

voluissem hac de re dicendo progressus sum. Iam orationē meā suo quasi iure ad se vocat, ac prope dixerim rapit volu ptas, qua historiarū lectio hoīes afficere cōsueuit, quæ, meo quidē iudicio, tanta est; vt nullius vel eloquentissimi oratoris oratione explicari posse videatur. Etenim quid dulcius, quā si qñdo curarū fluctib. grauius, atq; vehementius fortasse iacteris, in hunc quasi portū confugere? quid iucundius, quā si tui te seculi nonnunquā tædeat, cum Brutis, Camillis, Aphricanis, aliisq; superiorū ætatū luminib. versari, & rebus ab eis vbiq; gestis interesse? quid deniq; delectabilius, quā quos Heroas q̄libet ciuitas pepererit, quid florente pace p̄stiterit, qua disciplina in bello vsa fuerit, quas vrbes oppugnarit, quas cæperit, quib. afflicta incōmodis, & calamitatib. iacuerit, ac deniq; quid p̄clarū, & memorabile quauis ætate gesserit, vno propemodū aspectu intueri? Equidē nō pessimè (dicam libere id, quod sentio, auditores,) non pessimè, inquam, sentire illos mihi persuadeo, qui, quos historiarū lectio minimè oblectat, hos aut palati nimis eē delicati, aut quid iucundū, & dulce sit, penitus ignorare opinantur. Pro Deus optime. Picturā ita nonnullis in amorib., atq; deliciis esse constat, vt ea quodammō pasci, uixq; ex ulla re alia tātillum, ut ita dicam, voluptatis percipere videātur Testes non pauci; Attalus in primis Rex Pergami, qui cū alias multas imagines maximo, ac propemodū incredibili precio emisse fertur, tū vero tēperare sibi non potuit, quin ad se perlatam Aristidis Thebani tabulam centū talentis cōpararet. Cui ergo non placeat, quē non magnopere oblectet, cuius aīum summa, ac propemodum incredibili voluptate non perfundat historia, in qua ab eloquentissimis, & ingenio prope diuino præditis hoīb. clarissima maximorū virorū facinora artificio picta mirabili conspiciuntur? An perfectius res exprimi penicillo, quā verbis, & oculis corporis maiorē quā oculis aīi voluptatē capi censebimus? Quid? Extare scimus non paucos, qui variarū peragratione regionū vsq; eo delectantur, vt obliti quodammō patriæ, & posthabita propinquorū, affinium, amicorū deniq; omniū consuetudine,

con

contemptisq; itinerũ laborib ,atq; periculis totã pene vitã, interdũ ẽt plane totam singulas inuisendo regiones, atq; vniuersum terrarũ orbẽ lustrando consumant. Et erit aliquis tã auersus a vero, tã hebes, tã agrestis, tam deniq; mentis inops, qui cum sine sole, sine puluere, sine latronum metu, sine vllo deniq; incõmodo, atq; labore posit domi sedẽs inter agnatos, & affines eadem oĩa historias lectitando conspicere, atq; intueri; erit, inquã, aliquis, qui se aut nullã, aut modicam ex historiis voluptatẽ, atq; delectationem capere dictitet? O historiã summum sane, atq; pulcherrimũ Dei Op. Max. donum, ac munus. O rerum conseruatricẽ gestarum. O virtutum omniũ parentẽ. O vitæ ducẽ, ac magistrã. O iucũdissimũ in omni fortuna solatium. Cõmendetur, Auditores, & summis efferatur laudib. poesis, quã tanti fecit antiquitas, vt eã non hominũ, sed Deorum inuentum iudicarit. Extollatur eloquentia, q̃ hominũ animos quãlibet in partẽ torquet, ac flectit, qua qui excellunt, tonare, & fulgurare existimantur. Laudeatur deniq; cæteræ artes, ac disciplinæ, q̃bus singulari, & eximio rerũ omniũ opificis, & moderatoris Dei beneficio humanũ ingenium excoli, atq; exornari põt. At inter has non infimus tribuatur locus historiæ; immò vero pro certo habeatur, eã non mõ nobilitate, atq; præstãtia nulli concedere, verũ ẽt multas longo superare interuallo; pares vero habere perpaucas. Sed finis sit, ne breuitatis, quã principio promisi, me forsitan cępisse videatur obliuio. Vos nobilissimi auditores, si, qđ sperare vix audeo , ex hac mea de historiæ laudib. disputatione aliquã forte haufistis voluptatem, suscepti me laboris amplissimũ cæpisse fructũ exis timo; sin minus, quod magis reor , duplici vobis nomine gratias ago, & maximas, ac singulares me semper habiturũ polliceor; altero quod me hac summa frequentia cohonestãre volueritis; altero, quod sine vlla voluptate, immo vero cum satietate forsitan, atq; fastidio me tanta beneuolentia, atque attentione audiendum putaueritis.

Habita Patauij in Acad. Stab. an. sal. 1599. 12. Kal. Ap.

Omnia per ipsum.

26